

007
1-8p

Tom 74

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
14.
15.
16.
17.



INTRODUCTIO

Ad

GEORGICA

ANIMI ET VITÆ,

Seu

PATHOLOGIAM
PRACTICAM,

Quam

Publicis Prælectionibus

D. XIX. Octobris.

Qui erit dies Veneris,

Horâ pomeridianâ tertiâ

Auspicabitur,

Atq; ad eas

Quotquot interesse desiderant,

Qui hîc loci Musis operantur publicoq; se præparant,

Officiosissimè invitât

ARNOLDUS Besenfeld /

Rationalis & Moralis Philosoph. Prof. Ordinarius.

Francofurti ad Viadrum,

Sumptibus JOHANNIS VÖLCKERI,

ANNO MDCXCIV.



Illustri Baco de Verulamio
Summo Angliæ Cancellarius,
in insigni & nunquam satis lau-
dato opere, quod de *Augmentis*
Scientiarum ad Regem suum Jaco-
bum, egregiorum ingeniorum
& Judicem perspicacissimum &
Fautorem Benignissimum per-
scripsit, *Lib. VII. cap. III.* inter *De-*
siderata Ethices, quæ in corpus doctrina nondum redacta sint,
refert *Georgica Animi,* seu Doctrinam de *Cultura Animi.* Et
in hac quidem cultura animi tria in considerationem venire pu-
tat, *Characteres diversos dispositionum, Affectus & Remedia.*
Quemadmodum in corporibus medicandis proponuntur illa tria:
Complexio sive constitutio agri, Morbus & Curatio. Atque ab
illo tempore in duo quasi agmina scindi cœpere rerum
Pathologicarum scriptores. Alii veterum in hoc genere
instituta tantum secuti *Pythagoreorum, Platoniorum, Peri-*
pateticorum, Stoicorum, Epicureorum dogmata, correctâ hinc
inde atque ad Christianæ fidei principia accommodata,
vel singula, vel conjuncta, sub alio atque alio schemate ac
ordine, pro scopi sui diversitate, in lucem emisere, quò ea,
quæ à *Vernulæo Profess. Lovaniensi in Instit. Moral. Lib. II. Wen-*
delino Philos. Moralis Lib. I. Append. II. Cap. XXXVI. & nuper
ab *Omeisio in Arte regendi affectus,* quæ *Ethica ejus Pythago-*
ree adjuncta est, notata sunt, aliaq; pertinent. Quidam *Ve-*
rulamiana consilia tacitè secuti, ad ipsam motuum con-
nexi-

INTRODUCTIO

nexionem, phœnomenorum rationes, remediorum fontes præterea indagandos progressi sunt. Inter hos excelluere *Gassendus* & *Renatus des Cartes* nobiles Galli, *Kennelmus Digbaus* Eques Anglicanus; qui tamen ultra physicam passionum tractationem progressi haud sunt. Nam *Digbaus* quidem & *Gassendus* Physicis tractatibus Pathologica hæc tanquam partem non contemnendam admiscuere, *Cartesius* verò in *Resp. ad Epist. II. tractatui de Passionibus præmissam* fatetur: *Sibi non fuisse propositum explicare passiones Oratorio more* (quod *Aristoteles* fecerat, qui doctrinam de Affectibus ad Rhetoricam rejecit) imò ne quidem *instar Philosophi Moralis, sed solummodo, ut decuit Physicum.* In morali verò passionum tractatione haud ignobilem operam præstitere, *Henricus Morus Celebris Anglus in Ethicis suis Tomo I. Op. ejus Philos.* insertis, & non ita pridem *Malebranche* autor Gallus, in eleganti opere *de Inquirenda Veritate.* Verùm iste pauca tantùm, egregia tamen, (quanquam pleraque ex Pythagoræorum ceterorumq; Veterum fragmentis in concinniore ordinem tantùm coagmentata, quod huic Autori frequens est,) in hoc genere notavit. *Hic* plura quidem & notatu digna congestit, sed sparsim & quasi aliud agendo: ne dicam, quod locutionibus nonnullis heterodoxias valde suspectis hinc inde utatur. Quale illud *Lib. III. Cap. I. Existimo nullam esse substantiam purè intelligibilem præter substantiam Dei: nihil posse evidenter cognosci, nisi in ejus lumine, unionem spirituum efficere non posse, ut visibiles sint, sive ut videri queant. Quamvis cum nobismet ipsis arctissimè uniamur, nobismet ipsis inintelligibiles, ut ita dicam, erimus, donec nosmet ipsos videamus in Deo, & nobis ipsis offerat ideam omninò claram entis nostri, quam ipse habet in suo esse inclusam.* Et alia ejusdem generis. *Aggressus & Moralem Passionum tractationem,*

INTRODUCTIO

ex professo est *Spinoza in Operibus Posthumis, Ethices Part. III.* qui, si impia, profana, contradictoria, obscura, quibus passim homo Atheus & in perversum sensum datus se involvit, demas, quædam non contemnenda observata hinc inde spargit; adeò ut perpetuus ejus Censor *Acutissimus Wittichius in Antispinoza Suo* eum & laudet sæpe, & Cartesio, quem maximi in hoc genere æstimat, in nonnullis expressionibus præferat: vid. pag. m. 210, 212, 277, &c. Quæ verò *Lælius Peregrinus de Affectionibus Animi dignoscendis & dijudicandis, Bodinus in Methodo. Historiarum, & Barclajus in Icone Animorum* adnotavere, particularia sunt, atq; tertiam tantum partem *Verulamianorum Desideratorum, de Characteribus Ingeniorum* complectuntur; ita tamen, ut etiam in hac parte sat amplum spicilegium posteritati reliquerint, præsertim quod ad intimas rationes harum diversitatum, temperandique modum attinet. In reliquis verò partibus duabus *de Affectibus eorundemq; Remediis* multò adhuc ampliora restant. Ut enim taceam, *Maximorum Virorum Gassendi, Cartesii, Digbei* circa Physicam Passionum expositionem placita, conferendo illa & inter se, & cum aliis eruditorum scriptis non paucis in locis & emendari & suppleri posse; ad plenum Pathologiæ opus requiri præterea videntur. (I) Ut *Moralis & Civilis*, verbo *Practica* passionum tractatio ex Physicis fontibus deducatur, illaque inter se mutuò in tractando connectantur, quæ separata ab invicem vel mutila quodammodò & manca sunt, vel certè eum usum in vita civili præstare non possunt, quem præstare conjuncta valent. (II.) Ut *Generalis Pathologiæ pars à Speciali* discernatur magis, ne in specialibus deinde eadem sæpius inculcanda veniant, generaliaque hæc uno intuitu pervideri queant universa, quæ tamen ipsa pars Generalis

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

ralis à veteribus, si pauca excipias, penitus ferè intacta
 fuit relicta, à Neotericis verò in Physicis quidem aliquid
 hìc præstitum, in Morali verò & Civili parte non nisi
 pauca eaque dispersa, neque ex iisdem principiis dedu-
 cta, interque se satis devincta & methodicè digesta com-
 parent (III.) Ut *speciali* parti, (ubi Veterum quidem labo-
 res laude sua defraudandi haud sunt, attamen pleraque
Oratorio non Philosophico more, aut satis *methodicè* exponun-
 tur, quæ verò ab Neotericis in hac re animad-
 versa existant, vel Physicam tantùm respiciunt, vel sin-
 gularia sunt) *Civilis & Moralis Pathologia adjungatur*:
 quâ ratione ferè altero tantò locupletior etiam hæc pars
 exhiberi posset. (IV.) Ut defectio generis huma-
 ni à primæva perfectione ex sacris supponatur ad mini-
 mum, cum sine illa nec inordinationes & irregularitates
 motuum universales, temperamentorum varia corru-
 ptio cum parentum sanguine impressa, plurimaque cir-
 ca Moralitatem & Regimen affectuum occurrentia ex-
 plicari possint, quod tamen à plerisque prætermissum est.
Malebranchius verò, qui illam in suis *de Inquirenda Veri-
 tate* commentariis supponit, in alteram partem inclinat
 nimis, illudque quod in affectibus præternaturale & infe-
 ctum est, ab eo quod naturale in his & à Numine impressum
 restat, non satis distinguit. Quæ cum animadverterem,
 ut *Verulamianis* utar *verbis*, non poteram non vehementer mirari,
 hanc partem, (quando præstantiâ ejus in animo recolebam) in corpus
 doctrinæ nondum redactam esse, tale sc. quod Juventuti Acade-
 micæ non Physicam tantùm, sed Moralem quoq; ac Ci-
 vilem Pathologiam, cujus usus in re humana præcipui
 momenti est, unico obtutu sifteret, quorum dein praxis
 & applicatio ad totam vitam pertineret. Præsertim, cum
Academia sint, vel certè esse debeant, *Gymnasia Vita*, in
 quibus



INTRODUCTIO

quibus flos delibatus nobilissimæ Juventutis, atque tot Illustrium ac Generosorum stemmatum propagines & surculi in spem vitæ melioris & subsidium Reip. educantur. Nihil verò ad felicitatem tum singulorum in tranquillitate mentis propriæ, tum universorum in tranquillitate mutua publicaue positam magis facit, quàm passionem suam & aliorum rectè dirigere scire. Hoc autem nemo vel faciliùs præstiterit, vel feliciùs, quàm qui illarum naturam, originem, phænomena, nexus, declinationes, excessus, remedia, illorumque rationes ipsumque applicandi modum penitus cognoverit; cui si experientia, praxis & applicatio accedat, næ illud felicitatis culmen, quod perverso hoc rerum humanarum statu ex naturæ rationalis reliquiis sperari potest, hac doctrinâ vel maximè attingere dabitur. Ab affectuum enim rationali moderamine maximam partem vel pendet, vel promovetur. (I) *Felicitas vitæ Naturalis*. Omnes enim affectuum excessus felicitatem naturalem, in recta dispositione mentis & sanitate corporis positam, aliquodammodò perturbant, quod in invidiæ, quæ sua naturâ excedens passio est, iræ item, odii, doloris, amoris, timoris excessibus patet, quæ & mentis quietem ac tranquillitatem quatunt multimodis, & sanitatem corporis, sanguinem & spiritus depravando, convellunt magnoperè atque affligunt. Idem in spe irrationali delusa, cupiditate ac desiderio parùm commensurato usu venit. Quæ mala universa & detegere Pathologica doctrina, eo quo monuimus modo adornata potest, & medendi rationem facillimam, tanquam Medicina Mentis indicare, atque ita naturalem felicitatem nostram singulariter adjuvare. Quò & pertinet, quòd felicitas illa interior, in tranquillitate mentis sita, per vices rerum humanarum, quibus omnes
subji-

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

subjicimur, hoc pacto non ita perturbetur. Sapiens enim Pathologica Cognitione & Praxi instructus, licet neque immobilis, neque planè imperturbabilis, corrupto hoc mentis, sanguinis & spirituum statu evadere possit, tamen innumera à mera opinione dependentia, quæ alios agitant & quatiunt, ille vix sentiet quidem; cetera non eo gradu ac vehementiâ, vel certè passiones exorbitantes, tanquam effrænes equos laxatis habenis ruere nitentes, intra gyrum rectæ rationis & celerius & facilius coercebit, quippe cui natura & remedia excessuum perspecta sunt, lapsantemque ita felicitatem suam sibi ipsi restituet, comprobabitque veritatem veteris effati: *Sapientem (Pathologiæ Practicæ putæ gnarum) fortunam & felicitatem suam, interiorem certè, sibi fingere.*

(II.) *Felicitas vitæ Civilis ac Socialis.* Hæc namque, quæ in tranquillitate publica ac Universorum consistit, variè item per Pathologicæ doctrinæ scientiam & praxin confirmatur. (1.) *Vivitur ita commodius cum aliis*, dum excessibus istis cognitis ac evitatis, non facile quenquam offendimus, qui in eadem societate vel minori, vel majori illa membrum unâ nobiscum constituit; præsertim cum illud fieri vix possit, quin aliquod vicissim malum ad nos redeat. vid. no. I. (2.) Melius utimur aliorum operâ & subsidiis mutuis ad vitæ hujus felicitatem necessariis. (a) Dum ita & conversari cum aliis & regere alios sine graviore molestia ad nos redundante possumus; Cum contra in conversatione Magistratuû & subjectorû, Dominorû & Servorû, Parentû & liberorum, Mariti & Uxoris, turbas innumeras intercedere necesse sit, nisi alterutra ad minimum pars affectus suos temperare noverit. (b.) Dum, præsertim modis ac rationibus dirigendi aliorum affectus introspectis, infle-

ctere

MAGIS INTRODUCTIO

Et ere illos ad fines felicitati vel nostræ, vel publicæ confirmandæ destinatos facilius valemus. (3.) Reip. corpori utiliore vel civem, vel magistratum, verbo membrum mage commodum & expeditum in quocunque vitæ genere præstabimus, quod nullo graviore motu facile turbatum, vertere se in omnes partes, ubi rei communis necessitas id exigit, possit. (4.) Damna & mala innumera felicitatem publicam vel affligentia vel evertentia, ut injuriæ, lites, rixæ, seditiones, bella intestina, quæ ordinariò ab excessibus affectuû oriuntur, vel evitari, vel certè coërceri ab iis, qui cognitione & usu Pathologiæ instructi sunt, poterunt. (III.) *Felicitas Vitæ Moralis & illi conjuncta Supernaturalis.* Hæc in virtutum tum Moraliû, tum Theologicarum exercitio, vitiorum tanquam totidem felicitatis hujus perturbatorum declinatione, & conscientia reflexâ vitæ rectè actæ præcipuè posita, Pathologica cognitione & applicatione multimodis stabilitur. (1.) Dum ita intima vitiorum natura, ortus & genealogiæ, ratio commovendi ac inescandi, remedia item ex natura illorum petita innotescunt. Horum quippe pleraque, vel excessus passionum sunt, vel certè eos adjunctos habent. Sic avaritia & ambitio cupiditatis, libido amoris, invidia doloris, *ἄνυχαιρενάνια* lætitiæ excessus est. Hinc Superstitio & Idololatria ex metu & admiratione vana ortæ esse cognoscuntur; naturaque perspecta remedia facilius singulis applicantur, felicitasque Moralis & Theologica labefactata, quantum per rationalis naturæ reliquias licet, restituitur. (2.) Dum virtutum naturam, (quippe quarum non paucae in affectibus ad rationis æquilibrium redigendis occupantur) connexiones, rationem eas facilius introducendi, atque ita ad felicitatis Moralis & Theologiæ cacumen perveniendi, commonstrat. (3.) Dum

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

(3.) Dum ostendendo, quòd passiones per sensibilia & opinionones parùm fundatas ad pleraque vitia, infelicitatis humanæ instrumenta, deprimant; Hæc ab altera parte hominem ad intellectualia & veritates certas ac practicas cum felicitate ipsius intimè connexas erigit. [IV.] *Felicitas Vita Literaria* tam *Speculativa*, quàm *Practica*, quarum illa in cognitione veri & boni, hæc in actione juxta cognitionem in ratione fundatam consistit. Nam & cognoscendi vigor, & attentio ad convenientiam actionũ cum cognitione rationali, excedentibus passionum motibus interturbatur magnoperè, quæ quomodo in ordinem redigenda sint Pathologia Practica commonstrat. Accedit diffusio usus Pathologicæ doctrinæ per universas disciplinas eorundemq; assecclas. Animadvertent hîc *Theologia sacra*ti plurima, quæ in *Theologia Morali & Practica* singularem usum præstare possint. Nam & *Virtutibus* ac *Vitiis* tam *Moralibus*, quàm *Theologicis* arctissimus cum Passionum natura nexus est, prout antè indigitavimus, & *Oratoria Ecclesiastica* pars vel præcipua in commovendis affectibus est posita, quos nemo commoverit felicius, quàm qui eos perspexerit intimius; tum in conversatione cum comissi sibi cœtus membris, singulorum se affectibus, quantũ pietas patitur, attemperare scire, magna *Prudentiæ Ecclesiasticæ* pars est. Illi verò, qui *comparatam Juris notitiam ad publicos transferre usus volunt*, ad quodcunq; se vitæ genus applicent Pathologicæ Practicæ fructus in singulis animadvertent. Sive enim *Principum consiliis* firmandæq; felicitati publicæ adhibeantur; nõse & attemperare se Principis temperamento & motibus, exterorum Principum, ad quos fortè legati accedunt, ingenia & inclinationes animadvertere atq; in eas se insinuare scire, superiorum, benevolentiam & favorem, parium studia & amicitiam, inferiorum

b

inferio-



INTRODUCTIO

inferiorum amorem & obsequia sibi nôsse mancipare, ex Pathologicis fontibus hauriendum est. Sive *in dicasteriis, curiisve dignoscere causas litesque partium* accuratè debeant, imotum ab affectuū excessibus animum retinere, reos ab innocentibus discernere, affectuum motus, remedia, directionem in aliis callere, multum proderit. Sive *in foro agere causas* propositum sit, tum ad pervidendum controversiæ statum, separandamq; illam misturam affectuum, quã vel partes, vel causæ adversæ patroni ferè admiscerent, tum ad comovendum iudicis animum ad decernendum pro causa partis, quam suscepit, & cui veritatem favere præsumit, Pathologiæ interioris cognitio haud parum facit. Sive *in quocunque officii aut conditionis genere publico inserviendum sit*, quò magis inter multos & cum multis conversandum est, eò plus utilitatis ex Pathologiæ cognitione hauriri potest. In *re Medica* autem, & *Phyfica Pathologiæ* pars necessaria vel maximè est, ad varia, quæ œconomiam humanam passionum intervntu turbant dignoscenda & curanda: nec *Moralis ac Civilis* abesse potest, ex cuius ductu se temperamento & motibus ægroti accommodare Medicus, & prudenti affectuum directione, plus quandoq; quàm medicamentis proficere poterit. Imò & ad eos, qui vel *Militia* nomen dare, vel consiliis militaribus interesse debent plurimum ex Pathologicis his considerationibus redundabit commodi. Hinc namq; fundamenta repetenda sunt, quomodo militaribus animis, spes, audacia, amor, cupiditas, (magna ad rem bene gerendam momenta) pro diversitate inclinationum & circumstantiarum inspiranda, quomodo timor eximendus, ipsaq; desperatio in instrumentum victoriæ convertenda. Huc hostilium machinationum illusiones, Stratagematum ad motus sibi utiles concitandos, con-

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

contrarios suppressendos apta inventa, rerum fortuitarum ad movendum tamen aptarum, vel opinionum etiam prudens captatio ac deflexio in suam causam, plurimamque ejus generis pertinent. In *Philosophia* verò *Physica*, *Ethica*, *Politica*, nec non *Oratorie* haud contemnendam partem Pathologia constituit. Quæ tamen si conjungantur sibi que mutuò innectantur universa, tum demum absolutum corpus Pathologicum constituent, quod nulli ceterarum disciplinarum vel dignitate, vel utilitate cedat. Atque hæc tam ampla ac magnifica sunt, quæ à Pathologia Practica ritè adornata exspectari possunt. Licet enim *multi natura & sanguinis temperationis beneficio*, alii *longo usu & exercitatione* & in propriis, & aliorum affectibus moderandis ac dirigendis multum profecerint; tamen & paucissimis hæc Naturæ prærogativa data est, & applicatio, quæ solo usu formatur, multis cum difficultatibus conjuncta esse solet, atque non nisi plurimo nostro damno ac discrimine addisci potest. At si singulorum motuum causas, excessuum fontes, remediorum intimas rationes, dirigendi affectus aliorum varium artificium, ceteraque ejus generis in doctrinæ quodam corpus redacta sint; dum uno obtutu hæc inter se concatenata contemplari hoc pacto licet, multò & promptius & facilius, ac majori cum fiducia in passionum moderamine quis progredietur. Atque hæc tum *dignitas*, tum *utilitas & necessitas Pathologiae Practicæ* fuit, quæ me in eam mentem impulit, ut de tali quodam Systemate adornando consilium caperem. Occurrebant quidem haud pauca, quæ me à proposito dejicere velle videbantur, materiæ ipsius latè diffusæ amplitudo, argumentum non nisi ab Illustribus & longo rerum usu subactis viris nostro seculo tractari cœptum, pars generalis, si physicam excipias,

INTRODUCTIO

ciplas, rudis ac indigesta penè relicta; in speciali parte
 hiatus passim observati, & plurima in hoc genere magis
 ad pompam, quàm ad utilitatem adornata. Et certè per-
 vicissent hæ rationes, meque in alia omnia traduxissent,
 nisi *Florentissima Judentutis Academica*, quæ in hac *Alma Musa-*
rum sede colligitur, & cui studia mea à *SERENISSIMO ACA-*
DEMIAE NUTRITIO devota sciebam, commoda me re-
 vocassent; cum ex ejusmodi doctrinæ genere & ad ce-
 tera illorum studia, & ad ipsam vitam publicam priva-
 tamque insignes fructus redundare posse mihi videri vi-
 derer. Neque verò (quod multò maluissimè,) ab alio,
 & rerum usu, subsidiisque literariis magis instructo,
 hanc operam quàm primùm susceptum iri sperare pote-
 ram, cum per tot annos, qui post *Verulamii* obitum ef-
 fluxere, nemo nisi per particulas quasdam hanc Patho-
 logiæ tractationem aggressus sit. Quare manus operi
 admovi; quod quidem ita adornare institui, ut Patholo-
 giæ nævos, quos in antecedentibus adnotavimus, tollere
 ac evitare, defectus emendare & supplere, phænomeno-
 rum, remediorum, ipsiusque directionis fundamenta &
 rationes exquirere, universaque methodo ac ordine fa-
 cillimo & maxime rationali disponere pro virili adnite-
 rer. Exhaustire totam argumenti hujus amplitudinem
 neque institutum mihi fuit, neque fortè unius hominis
 est, multò minùs eo, quod mihi ad meditandum inter alia
 negotia datum fuit spatium, præstari potuit. Lineas hîc
 tantùm ducere fuit animus, quas juxta in *Academiis*, tan-
 quam *Theatris Vitæ*, variæ illæ scenæ rerum humanarum,
 quas affectus vel singuli, vel universi inducunt, repræ-
 sentari commodiùs queant; cetera prælectionibus ipsis
 reservanda hac vice duxi. Hinc &, præsertim in *Parte*
Generali exemplorum miscere *farraginem* haud sustinui, ne
in

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

in nimiam molem tractatus excresceret, qui sic etiam, proposito nostro amplior evaserat. Ubi verò sine exemplis adjectis ipsa res non satis explanari posse videbatur, ita brevitati studui, ut omni tamen conatu obscuritatem evitarem: unde exempla hinc inde sparsa, præprimis *Capite VII. Partis Generalis*, passimque *in Parte Speciali*, ubi res poscere videbatur, animadvertes. Plura & uberiora ipsi discursui adspergemus, quæ simul cum novis phænomenis, motibus, usibus, abusibus, artibusque tum nostras, tum aliorum passiones & singulas & universas dirigendi, aliisque quæ se inter meditandum explicandumque offerent, *fusiori* olim *Commentario* inserta, si vitam Deus & sanitatem prorogabit, exhibebimus. Quam in rem & *Sylvam* quandam *Misceltanearum Observationum Pathologicarum* præcipuè *ex Historicis* colligere aggressus sum, quæ materiæ locò esse possit, unde & Pathologia Practica uberius illustrari, & in omni vitæ civilis & militaris usu in præstantissimos quosque, tanquam exemplar quoddam intueri possimus: quam & ipsam, modò per alia negotia perficere eam & exasciare aliquodammodò detur, communicare aliquando cum publico haud gravabor, si primitias hæc Pathologicas haud ingratas fuisse senserim. *Verulamiana consilia*, licet primò nos ad laborem hunc suscipiendum impulerint, tamen in ipsa tractatione exactè ubique sequi haud visum fuit. Multa quippe semper vel addenda, vel removenda in ipsis meditationibus occurrunt, quæ antequam operi manum admoveris haud animadvertuntur. *Tria* tamen illa *generalia capita*, quæ ipse ad *Georgica Animi* requirit, persecutus universa sum: *Affectus sc. Remedia & Characteres Animorum*, quanquam tertiam partem non ulterius, quam prout characteres isti cum passionibus certis connectuntur attigi, cum quibus

INTRODUCTIO

quibus tamen plerique horum affinitatem singularem ha-
 bent. In ceteris originem & generalia phœnomena inge-
 niorum in hoc compendio Pathologico notâsse mihi suf-
 fecit; præsertim cùm hæc materia jam ab aliis ex profes-
 so tractata fuerit. Eadem libertate circa sententias eorū,
 qui vel in *Physica, vel Morali Pathologia parte* aliquid tradi-
 dere, usus sum; illud ubique scribendi institutum tenens,
 quod in nuper emisiss de *Philosophia Electiva* Commenta-
 riis tanquam maximè rationale commendaveram. Quod
 quidem hoc majori cum fiduciâ facere aggressus sum,
 quòd illa nupera de optimaphilosophandi ratione cogita-
 ta, tum *ILLUSTRISSIMIS AULÆ PROCERIBUS,*
Gravissimis rei literaria Arbitris, tum *Viris Eruditis non*
paucis, cum quibus hæc nostra communicaveram, se ap-
 probâsse, benevolentia & humanitate plenissimis literis
 cognoveram. *Autores,* ex quibus hinc inde quædam Me-
 ditationibus hisce Pathologicis inserta sunt, subjicere u-
 bique, præsertim *in generali parte,* haud consultum visum
 fuit. Namq; & autores pauci, & hi ferè fuere, quos in
initio hujus *Introductionis* nominavimus, nisi quod in *Capite*
Primo de Unione Mentis & Corporis, Claubergium, in *Tertio &*
Septimo, de Generalibus passionum Motibus, & Directione Passi-
onum in aliis, Historicorum monumenta. In *Quarto & Sexto, de*
Moralitate & Remediis passionum, Veterum Philosophorum tam
Pythagoræorum, quàm Platoniorum, Peripateticorum, Stoico-
rum & Epicuræorum placita contuli. Tum etiam invidio-
 sum fore videbam, cùm passim ab sententiis singulorum
 discessionem facere necesse esset, nomina subjicere; præ-
 sertim cùm nihil magis veritatis cognitioni obstare sæ-
 penumero animadvertissem, quàm quòd sententiam il-
 lam alteri cuidam, de quo insignem opinionem concepe-
 re alij, adversam sentiant, non attendentes, etiam bonum,

quan-

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

quandoq; dormire Homerū, & perspicacissima ingenia ipso acumine suo haud rarò præpediri, susceptisque de se aliorum opinionibus inflammari ad sententiam, quam amplexi semel sunt omnibus modis incrustandam ac defendendam: unde illam sententiarum collationem ad ipsas prælectiones rejicere constitui. Accedebat, quod ita tractatio ipsa, & amplificanda magnoperè, & interrumpenda passim fuisset, quod lectorem valdè remorari solet, facitque ut nexus rerum minùs perspiciat, quod in *Generali Parte*, ubi quædam, Physica præsertim, per se factis abstrusa occurrebant, non ex re esse videbatur. Quid verò in *Parte Speciali*, quam exactè delineare nondum licuit, in qua & autorum major copia consulenda, & controversiæ haud ita multæ, neque materiæ tam impeditæ occurrunt, præstabilius sit, dijudicare optimè omnium licebit, ubi ad tractationem ipsam, quod propediem fiet, ventum fuerit. Stylo usus sum, quantum per materiam licuit, facili ubiq; fluido ac familiari; elegantiam enim in hoc genere sectari velle supervacuum arbitrabar. Quod si tamen iis, qui Physica nondum delibârunt, obscuriora quædam hinc inde, præsertim in *Capite I. & II.* videbuntur, faciam, ut spero, in ipsa expositione, ne qua vel difficultas, vel obscuritas attendentibus relinquatur. Ceteri, ad quos fortè hæc nostra pervenient, speciatim in *Capite Secundo*, si quid video, circa sententias nonnullas à vulgato tradendi modo recedentes hærebunt, uberiores etiam fortassis expositionem horum requirentes. Huc refero *suppositam existentiam passionum etiam in meris mentibus*, eandemque expositionem per dependentiam certarum perceptionum à certis cogitationibus; qua in re tamen dubium esse nemini potest, si ea quæ in sacris de Angelis tum bonis tum malis referuntur conferat, quæ quidem
ex

INTRODUCTIO

ex hac hypothefi explicari omnium clariffimè poffunt. Referent huc & nonnulli fortè, *affertionem paffionum merè corporearum* in brutis conſpicuarum. Verùm hi fi attenderint, me non niſi in reciprocatione motuum corporeorum hoc paffionum genus collocare, in eo tantùm à ceteris diverſum, quòd ſubtiliffimum ignem, tanquam principium quoddam interius motibus hiſcè variè temperandis ac dirigendis intervenire arbitrer, qui ignis tamen merum corpus fit; nihil & hìc à corporum natura alienum me aſſerviſſe facilè judicabunt. Sed hujus ipſius ignis ortum, *transplantationem per ſemen tanquam vehiculum, gyrationem in utero, tum in corde ac cerebro, preparationem omnium membrorum motu hujus ignis; tum viſus, imaginationis motuumq; omnium concatenatio cum hoc igne*, ita theticè ac poſitivè aſſerta, uberiùs declarari ac firmari debuiſſe quibusdam fortasſis videbitur. Verùm ignem in generatione vel principaliter intervenire, collata *historia proſeminationis plantarum, generationisq; omnium animalium* invictiſſimè oftendit: ita ſemina non niſi per calorem (qui ignis certiffimus index eſt) fota, ſibi ſimiles plantas, flores, fruges, arbores producunt: & in *animalibus oviparis* liquidiſſimè apparet, in quibus cùm ignis per ſemen tranſfuſus non ſatis ſufficiens ad requiſitos motus peragendos ſit, ab igne commenſurato exterius adveniente operationes ejus ſublevari debent: quomodò gallinæ, anſeres, anates blandè ova fovendo excludunt, quæ tamen etiam *apud Egyptios in furno temperato calore excludi paſſim memoratur*. Quò & pertinet, quod *Suetonius in Tiberio Cap. XIV. de Livia* refert. *Pregnans Livia, cùm an marem editura eſſet variis captaret ominibus, ovum incubanti gallinæ ſubductum nunc ſua, nunc miſtrarum manu per vices uſq; eò fovit, quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt.* Modus verò & proceſſus,

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

cessus, quem propagationi hujus ignis assignavimus, respondebit exactè accuratissimis *Observationibus Harveanis de Generatione animalium*, observataq; ej⁹ universa circa generationis ordinem per singulos dies, ex principiis hinc deduci posse haud desperem; sicut & phœnomena universa, quæ in operationibus brutorum vitæq; & mortis illorum historia, ut & ea, quæ circa sensitivas & vegetativas, ut vocant, operationes in homine occurrent. Quod tamen illa non fusiùs in hoc tractatu explicata dederim, hæc mihi ratio fuit, quòd materia per se satis ampla singularem tractationem requireret, atq; in Pathologicis hinc sufficere putarem, si principia ejusmodi hinc ponerem, ex quibus phœnomena motuum in passionibus occurrentium aptè possent deduci, cui quidem instituto me satisfacisse arbitror. Interim & hujus *materie sane jucundissima & utilisissima* deductionem, de qua jam non pauca generatim designata habeo, phœnomenorumque universorum in brutis hominibusq; observatorum causas ex hoc fonte elicere aggrediar; ubi & otium & præcipuè desiderata in hanc rem subsidia id quidem permiserint. Par hæsitatio fortè occurret circa *sententiam de transmissione imaginum, rerum oculis objectarum, ad ipsum cerebrum*, breviter item tantum, ut hujus tractatus ratio suadebat, tacta. Sed, si *oculi* tanquam *artificiosissima camera obscura* constructionem, *nervorum ac fibrarum subtilissimarum porositate*, corpusculorum *lucis*, ex quibus picturæ hæ constant, *incredibilem, subtilitatem, imaginum visarum recursum* in somniis, febribus ardentibus &c. *facillimamque* *explicationem omnium phœnomenorum in imaginatione, memoria* &c. per hanc hypothesin, quorum non pauca hinc inde in hisce meditationibus tetigimus, attendant, & huic sententiæ astipulari, puto, haud gravabuntur. Interim, si

c

qua

AD PRÆSENTIAM
INTRODUCTIO

qua & hęc difficultas ex conciso tractandi ordine restet, materiam istam vel singulari meditatione expediam, vel cogitatis de igne operationum animalium principio, ob convenientiam materiæ adjungam, uberiusq; singula imaginibus his connexa phænomena tum quidem attingam. Interea *in ipsis prælectionibus* hæc uberius exponam, collatisque phænomenis declarabo, dubiaque, quæ fortè occurrere possint, resolvam sententiasque tum adversas, tum aliqua ex parte consentientes examinabo. Ipsam verò *Pathologia hujus Practicæ Partem Generalem* hoc ordine adornavi. (I.) *Naturam mentis & corporis unionisq;* illorum *rationem* tradidi, cum & in mente, & in corporibus, & in homine ex utrisque partibus constante passionibus dentur, quæ in natura horum uniusque ratione præcipuè fundantur. Inde (II.) *Varietatem, Naturam ac Originem physicam* passionum tam *mentalium*, quam *corporearum* & præcipuè *mixtarum* exposui; & quia in passionum motibus varia *sensuum, imaginationis, memoria phænomena* occurrunt, horum quoque naturam declarandam suscepi. (III.) *Motus generales ac passionibus vel mentalibus, vel corporeis, vel mixtis communes* recensui, causasque & rationes motuum, nisi ubi illas ipse tradendi modus involveret, exposui. (IV.) *Moralitatem passionum*, atque hujus occasione *statum hominis tum naturalem & institutum, tum præternaturalem & defectivum, relictasq;* in præsentis statu primi illius *reliquias* ratione passionum excussi, *questionesq;* circa Moralitatem passionum occurrentes ex hoc fonte resolvi. (V.) *Usus & abusus passionum* iustravi. Illos tanquam *fines*, ad quos à Naturæ Autore extraordinariæ ejusmodi commotiones rebus quibusdam creatis inditi sunt, hos tanquam *declinationes* totidem ab his finibus. (VI.) *Remedia declinationum & abusuum, motuum-*



AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

que universorum *exorbitantium* præcipuè in mixtis seu humanis passionibus subjeci, *remediorumque* tum *externorum* à Veteribus traditorum *rationes* & *nexum* cum sperato effectu addidi, tum magis *interna* ex ipsamet natura, passionum eruta adjeci, atque ita *artem* qualemcunque *regendorum affectuum propriorum* isto capite delineavi. (VII.) Tandem & *artem* seu *modos aliorum affectus regendi, concitandi, sedandi* ex ipsa iterum natura passionum motuumque & horum varia aut convenientia, aut disconvenientia deduxi. *Specialem Pathologiae hujus tractationem*, quam nondum plenè in ordinem redigere licuit, generatim ita instituere fert animus: ut *premissa* passionum congruenti *divisione, in singulis* deinde passionibus, illarum *Naturam, Varietatem, Originem, Nexus, Phænomena, Characteres, Usus, Abusus, Remedia, Modum singulas excitandi & sedandi in aliis,* aliaque quæ ad singularum accuratiorem expositionem facere posse in ipsa tractatione luculentius patebit, perspicua brevitate delineem. Qua ratione *characteres ingeniorum, virtutum ac vitiorum plurimorum* cum passionibus *variis cognationes & genealogia,* plerorumque *actuum exorbitantium in vita privata & publica intimerationes, modocurrendi, variarumque controversiarum, in Moralibus, Politicis, Jure Naturali, Medicina ipsaque Theologia* occurrentium declaratio ex ipsis naturæ penetralibus repetenda se nobis offeret. *Libertate* quidem, sicut & antè monui, & usus sum, & utar porrò eâ quæ *Philosophum* decet, neque adullius me verba nomenque adstringi patiar; sed ita tamen temperatâ, ut spero, ne vel pietas, vel modestia desiderari possit. Isto enim casu in *Libertinismum*, hoc in *Licentiam & Scurrilitatem* libertas degenerat. Illud quoque sedulo dedi operam, ut *libertas ista rationalis* esset, neque vel ab aliis assumerem, vel ipse assererem quicquam,



AD PATIENTIAM
INTRODUCTIO

nisi id se secundis etiam tertiisque meditationibus ac conspirationi phaenomenorum universorum approbasset. Abstrusiora quaedam physica & ab aliis aliter explicata, de quorum nonnullis & in antecedentibus mentionem feci, si minus ut certas ac indubias veritates, saltē ut *Hypotheses* licebit assumere, ex quibus, si quid video, Phaenomena Pathologica universa commodē explicari possint, quod quidem ad praesens institutum nostrum suffecit; *uberiorem* verò *demonstrationem*, quam propositi nostri ratio hīc permittere noluit, alia occasione suscipiemus. Quod si tamen alicubi nobis humanitus quiddam acciderit, candidē & modestē monentes & audiam ac cum illis conferam lubentissimē, & de rationum pondere persuasus, cedam promissimē. *In studio enim veritatis vincere & vinci pulchrum*, victoque quantum de ingenii gloria decedit, tantum ad virtutis & modestiae laudem accedit. Nullam enim pestem literarum studia magis afflixisse putaverim, quam infinitam illam vincendi pruriginem, quā in collationibus eruditorum, tanquam in bellis victoria sola spectatur, cujus gloriam per innumeras artes, elusiones, depravationes, stratagemata, etiam cum veritatis ipsius dispendio captare, adversaeque sententiae assertorem tanquam hostem tractare sit licitum. Imò illud absurdum planē, cum omnes *errare humanum, seque homines esse, nec Maximos Viros*, cum quibus comparare se haud audent, *à labendo immunes fuisse* fateantur, sibi tamen simile quid accidisse etiam clarissimē convicti concedere nolint. Quod ex quo fonte profluxerit, in *Dissertationibus de Philos. Sectaria & Elect.* fusius deduximus. Invidorum & maledicorum, si qui fortē in hac nostra vel voce, vel scriptis insurgent, virulentiam generoso vindicabo silentio, certus, hoc hominum genus nulla re magis cruciari

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

ciari posse, quàm si respondere maledictis, atque cum illis in certamen maledicentiæ descendere detrectes. Si quid interim solidi admiscuerint, contendam, ne de nostra sententiâ hæc declarandi promptitudine jure conqueri possint. Sed, quid ego his imoror? potiùs ad Vos me converto, *Generosi ac Nobilissimi Juvenes*, qui ad Almam hanc studiorum Matrem ad capiendum animi vitæque cultum confluxistis confluitisq; quotidie, quibusq; hanc qualemcunque tractationem singulariter destinavi. *Ideam* quandam ejus & rudiusculam delineationem *presenti Introductione* Vobis exhibere volui, ex qua tamen intelligere liceret, in *quacunq; Facultate*, in quocunq; *vita genere* olim versaturi sitis, in illo insignes ex Pathologiæ Practicæ cognitione, & applicatione fructus posse percipi, id quod in antecedentibus clarè satis demonstravi. Adeste ergo frequentes & benevoli, vestraque alacritate ac studio, industriam nostram acuite. Atque ita habetote, non tantum, quod vetustissimus Philosophorum Græcorum *Pythagoras* apud *Stobæum* ait: *Inanem esse Philosophiam, quæ nullam in homine perturbationem sanat. Nam, quemadmodum ea nulli usui medicina est, quæ morbis corpora non liberat, sic neq; Philosophia, nisi ab animis malum depellat; sed & præcipuum studiorum omnium fructum ad nosmet ipsos redundantem, quo eruditi à ceteris distant, distare certè debent, esse, ut emolliant mores nec sinant esse feros, ad quam rem Pathologicæ doctrinæ scientia & praxis vel maximè confert. Ne quid dicam (quod in antecedentibus fusiùs executus sum) Felicitatem Naturalem, Moralem, Civilem, Super Naturalem, Literariam convenienti passionum directione stabiliri multimodis, atq; ita hujus ope tria illa summa humane felicitatis capita promoveri sumò opere, ut apud nos tranquille, cum aliis commode, Deo piè, vivamus, quæ singula cum rationali tem-*

MAGIS INTRODUCTIO AD PARTIAM

peramento passionum nostrarū connexa arctissimè sunt. *Neque verò sine insigni etiam voluptate fuerit*, mentis corporisque naturam, modumque quo duo ista ad hominem naturæ compendium, & microcosmum in macrocosmo constituendum conspirent indagari; videre originem & fontes extraordinariorum illorum stimulorum, quibus vita nostra universa ferè concitatur; observare horum motus ac phœnomena; scire fines, declinationes, remedia, modumque motus hos in aliis pro rerum nostrarum diversitate & concitandi & sedandi. Præsertim ubi in *Speciali Parte* jucunda pariter ac utili varietate, jam *Admirationem*, tanquam enthousiasmum quendam mentis & abreptionem, jam *Amorem*, tanquam copulam & coagulum humani generis, molestiarum in vita occurrentium dulce levamen, jam *Desiderium*, tanquam stimulum rerum humanarum, *Spem* ceu vitæ basin, *Voluptatem* (puram illam & defœcatam desigmo) virtutis incentivum & honestarum actionum præmium, *Metum*, *Dolorem*, *Iram*, tanquam retinacula à malis & felicitatem nostram vel externā vel internā, perturbantib⁹ aut destruentib⁹, *Tranquillitatem mentis* tandem, ceu felicitatis humanæ apicem & complementum, ad quam rationali directione passionum ceu instrumento utamur. Nec min⁹ *jucundum pariter ac fructuosum* fuerit, ad passionum etiam singularum attendere declinationes, notare abyssos, voragines, scopulos, ad quos allisi alii felicitatis suæ fecere naufragium, nosse modum declinandi has syrtes, motusque exorbitantes singulos in ordinem redigendi, ingeniorum pervestigare characteres, virtutum ac vitiorum rimari genealogias ac cognationes, cognoscere artes singulos hosce motus, prout vitæ usus necessitatesque nostræ postulant, in aliis concitandi, sedandi, moderandi. Quòd si
mihi

AD PATHOLOGIAM PRACTICAM.

mihî ex eo sensu, quo ipse in Meditationibus hisce perfusus sum, de sensu Vestro in his audiendis conicere licet, non possum non mihi polliceri, solida non minùs ac limpidissima voluptate, quæ tamen insigni fructu casâ non sit, vos delibutum iri. Excitabit me hæc vestri sensus cum meo cognita conspiratio ad alia porrò audenda, jamque cœpta pertexenda eò alacriùs, in quibus *Artem Rationis* seu *Logicam* propediem Vobiscum, ut spero, communicare licebit, non mera terminorum farragine luxuriantem, verùm *Eclectica methodo*, ex veterum pariter ac recentiorum scriptis propriisque meditationibus ita instructam, ut *Conceptuum directionem* cum *directione Terminologia Rationalis* ac minùs barbaræ conjungat, atque ita verè, quod vulgò jactatur, idem intellectui præstet quod *Ethica* voluntati, sitque quasi *Pathologia* quædam *Intellectus*, quæ illius phænomena, declinationes, remedia contineat, nosque ad veritatem non tantùm illam, quæ inter terminos & conceptus, sed illam etiam, quæ inter res & conceptus existit nos deducat. Quam ipsam, quò usus ejus pateat liquidius, ita instituemus, ut *applicationes Morales, Politicas, Theologicæ & Juris Naturalis* passim subjiciamus, ut appareat, verè esse *Logicam*, quod dicitur, *instrumentum instrumentorum & manuum scientiarum ceterarum*. Cui *Topicam Practicam* seu *Applicatam*, (quæ præter suos in reliquis scientiis usus ad Eloquentiam tam Civilem quam Militarem deducat, fontesq; copiæ disserendi subjectis exemplis commonstret) vel adjungemus statim, vel olim subjiciemus. Interim *Valete* nostrisq; qualibuscunque conatibus, Vestris certè usibus destinatis favete, mecumq; pro SERENISSIMI ACADEMIÆ HUIUS NUTRITII, MUSARUM STATORIS INCLYTI, perenni felicitate pia vota fundite. Faxit Benignissimum Numen,
ut



INTRODUCTIO AD PATHOLOG. PRACT.

ut SERENISSIMUS PATRIÆ PARENS *Martis pariter
ac Literariis trophæis* porrò splendescat, conservatæq; pie-
tatis ac religionis passim afflictæ, auctæq; publicæ rei
laude floreat. Perennet BRANDENBURGICI
NOMINIS *Gloria*, atque in SERENISSIMIS POSTE-
RIS perstet usq; inconcussa novisque cumulata auctibus.
Floreat hæc *Primogenita* SCEPTI ELECTORALIS BREN-
NONUM FILIA, & quemadmodum pietate & obsequio in
OPTIMUM PRINCIPEM, nulli cedit *Sororū*, ita porrò sub
AQUILÆ BRANDENBURGICÆ alis non sospes mo-
dò ac tuta, sed lætior indies, lectissimorumq; pignorum
in PRINCIPIS & PATRIÆ præsidium, decus ac fir-
mamentum surgentium, perpetuo flore ac
incrementis se efferat.



AB: 155 159

ULB Halle 3
002 673 711



7
sb.

VD 18

VD 17




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



21.
DUCTIONE
ad
GICA
ET VITÆ,
eu
LOGIAM
TICAM,
am
lectionibus
Octobris.
es Veneris,
ridiana tertiã
abitur,
ad eas
esse desiderant,
ur publicoq; se præparant,
ne invitat
US Besenfeld /
ilosoph. Prof. Ordinarius.
ad Viadrum,
NNIS VÖLCKERI,
DC XCIV.

